





16

num. 45.

14

DISSE<sup>T</sup>RATI<sup>O</sup>  
IVRIS NATVRALIS  
DE 1763  
AEQVALITATE PRETII  
IN  
CONTRACTIBVS SERVANDA.

QVAM  
FAVENTE SVMMO NVMINE,  
PRAESIDE

P. 205.  
FRIDERICO GOTHOFREDO

I. A. F. SCHLEGTENDAL,  
IVR. D. ET P. P. O. H. T. ACAD. RECTORE  
PUBLICE DEFENDENDAM  
SUSCIPET

WERNERV<sup>S</sup> REINHARDV<sup>S</sup> BERNHARDV<sup>S</sup>

DE MVNTZ,  
CLIVO CLIVENSIS.  
DIE XII. AUGUSTI MDCCLXIII.


H. L. Q. S.



TEVTOBVRGI AD RHENVM,  
TYPIS FRANCISC. ADOLPH. BENTHON,  
ACAD. TYPOGR.



DISCIPULUS  
HABITAT IN CIVITATE  
BOSTONIENSIS  
ANNO MDCXCV  
JOHN HENRY  
CONTRARIO  
SOCIETATIS  
RECTIONIS  
DOMINI MDCCLXV  
GREGORIUS KELLY  
PRO  
IN PARADISO NOSTRICO  
MURKIN  
CONTRARIO  
SOCIETATIS  
RECTIONIS  
AD VOCATIONEM  
DE ZEIT VINCERET  
MURKIN  
AD VOCATIONEM  
DE ZEIT VINCERET  
MURKIN



*VIR O  
GENEROSO, AMPLISSIMO, ATQUE  
DOCTISSIMO.  
DOMINO  
IOHANNI WERNERO  
DE MVNTZ,  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI  
REGIS BORUSSIAE  
DOMINI NOSTRI LONGE CLEMENTISSIMI  
CAMERÆ REI MILITARIS  
ET  
DOMANIORVM  
IN DVCATV CLIVENSI, PRINCIPATV  
MEVRSA NO ET COMITATV  
MARCANO  
CONSILIARIO,  
PATRVO SVO  
AD ROGV M VSQVE COLEND.*

Hancce Dissertationem cum voto  
omnigenae felicitatis dat, dicat,  
dedicat


Obseruantissimus Nepos  
W. R. B. DE MVNTZ.

N I R O  
C E M E T O S O A M P L I S S I M O A T O N E  
D E C I S S I M O  
D O M I N O  
I O H A N N I W E R N E R O  
D E M A N T X  
C E R E N T S I M E A C P O T E N T I S S I M E  
R E G I S B O R U S S I A E  
D O M I N I N O S T R I F O N G E C R E M E N T S I S S I M E  
C E M E R R E R E I S M I T T A R I S  
D O M I N I O R I A N  
I N D I C A T I C C I A N E S I , T R I N C I A T A  
M A R S A N O E T C O M I T A  
M A R C A N O  
C O N S I L I A R I O .  
P A T R A O S A O  
V D D O G A M A S S O A E C O L B N D O .

Hausse D'Ugelle ouest cain aote  
Geschieke  
Geschieke  
Geschieke

O'gerauellijker Maeter

W R B de M A N T X



DISSERTATIO  
IVRIS NATVRALIS  
DE  
AEQVALITATE PRETII  
IN CONTRACTIBVS SERVANDA.

---

§. I.

 De aequalitate pretii in contractibus acturis nonnulla de ipsa aequalitate nec non de contractibus et de prelio in illis interueniente erunt praemonenda. Aequalia vocant mathematici, quae sibi possunt substitui salua quantitate: Aequalitas igitur erit conuenientia rerum ratione quantitatis. Quantitas vero ex pluribus vnitatibus homogeneis constat; vnitates enim diuersi generis quantitatem non constituant; sic centum equi et centum aurei non constituant ducenta, quia haec quantitates ad unum genus non pertinent. Colligimus inde, neque inter quantitates

A

tales

tates heterogeneas villam aequalitatem intercedere; quoniam  
hae quantitates nullo modo inter se comparari queunt, adeo-  
que nec inter illas villa conuenientia aut substitutio locum  
habere potest. \*

\* Principia haec generalia ex Mathesi desumsimus,  
quae scientia etiam Iureconsultis, qui multa de quantitatibus  
tractant, ita ut secundum Vulteium in *Iurisprudentia*  
*Lib. I. cap. 62.* omnes res incorporales ipsis in quantita-  
tes et qualitates dividantur, ad prime est utilis. Usus hu-  
ius scientiae in Iurisprudentia non mediocriter commendat  
Auerran. *Interpret. Iur.* Habemus etiam inter ICTos, quo-  
rum insignia sunt in hanc disciplinam merita, ex quibus  
illustrem solum Leibnitium inuentorem calculi differentia-  
lis nominare sufficit.

§. II. Contractus sive pactum est actio vel negotium  
duorum vel plurium, quo in aliiquid praestandum consentiunt.  
Contractum a pacto hic non distinximus, et si alii  
illud super re quae in commercio est, hoc super alia quavis  
iniri velint; re ipsa hanc distinctionem non omni utilitate,  
etiam in ipso iure civili carere, ex iis quae infra §. 7. vbi de  
regulis in pretio constituendo obseruandis agemus, dicenda  
sunt, colligi potest; at inter voces pacti et contractus tamen  
haec intercedere differentia non videtur. Diximus contra-  
ctum esse actionem vel negotium quo quidam consentiunt;  
non ergo ut ICTi Romani consensus est ipse contractus, sed  
potius requisitum illius; at illi plures similes definitiones  
reliquerunt v. c. seruitutis, thesauri aliasque, de rebus ma-  
gis quam de verbis solliciti, nisi de ipsa verborum proprie-  
tate et vario sensu ageretur. Secundum analogiam verbo-  
rum etiam pactum a pactione et conuentione adhuc discer-  
ni posset, ut illud negotium, hoc vero actionem notet;  
verum cum hoc discrimen usu non obseruetur, ad illud nos  
quoque non attendemus. Diximus duorum vel plurium;  
et si

et si posterius non ita frequenter accidat, praesertim si neque plures conuentiones pro vna eademque, neque plures personas idem coniunctim promittentes pro diuersis habebas. Consensus ut plurimum eandem sententiam plurium super re aliqua indicat; at hic aliquid amplius notat, scil. ex vna parte iuris perfecti translationem quam promissionem vocant, ex altera vero eiusdem acceptationem; talis enim demum producit obligationem perfectam ex pacto oriundam, quia sic demum nulla adest ratio, quare alter id denegare velit, quod alteri ab ipso invito exigendi potestate concessit, quam ipse vi libertatis sibi a Deo attributae omnino concedere, quamque alter ex eadem ratione adquirere poterat. Caetera quia, vti ex vsu quotidiano, ex quo verba maxime aestimanda sunt, constat, declaratio voluntatis de aliquo praestando alteri facta subsecuta illius gratiarum actione hunc animum continet; hinc ex ista sola perfecta obligatio nascitur, nisi quis contrarium manifesto declarauerit. Tandem conuenient partes in aliiquid praestandum: quo vocabulo hic omnia, quae alter aliquo modo promittere et alter accipere potest, siue danda siue facienda comprehenduntur. \*

\* Latus ita definitionem pacti et contractus euolui-  
mus, non quod haec noua sint, sed quia in sequentibus  
his principiis, de quibus tamen adhuc quidam disputant,  
vni necessarie erit; Interim si cui haec non sufficiant; eum ad  
alios qui ex professo haec tractarunt ablegare debebimus,  
quia latorem tractionem scopus noster et limites disserta-  
tionis academicae non permittunt.

§. III. Aequalitas in contractibus duplex considerari  
potest, tum personarum contrahentium tum pretii: vtra-  
que in aliis etiam negotiis saepe spectanda est; haec tamen  
non adeo late se extendit ac illa, et illa quidem iterum du-  
plici modo diuiditur, nempe tum in aequalitatem iuris et per-  
fectionum, tum in aequalitatem ordinis et imperii. Quod

A 2

ad

ad perfectiones attinet, in omnibus fere diuersos illarum gradus inuenimus; at quia unus hac alter fere alia excellit, inter ipsas vero perfectiones quae altera magis sit eximia, aestimare, ut plurimum ob deficientes de quantitate illarum relativa regulas adcuratores difficultius est; hinc saepissime incertum, quis hic sit alteri praferendus. Illud solum hic ex amore aliorum, generali actionum nostrarum regula colligi potest, quemque ad perfectiones alterius agnoscendas, et voluptatem ex iis percipiendam, adeoque et ut perfectiori cedat esse obligatum; quia vero haec obligatio tantum imperfecta est, de qua hic non agimus, hinc in ultiores illius effectus non inquirimus. Aequalitas iuris illa est, quae ex iure perfecto oritur. Natura illa obtinet inter omnes homines parentibus et liberis aliquis personis rationis vnu destitutis solis exceptis, quamdiu scilicet hi in potestate parentum et tutorum sunt constituti. Deus enim quemque hominem sibi soli neutiquam vero alteri homini subiectum creavit, verum potius illum liberum moderator et arbitrum actionum suarum constituit, nisi ipse huic libertati renunciaverit. \* Pertinet vero haec aequalitas non ad imperium solum verum etiam ad ordinem; cum etiam inuitu illius nulla ratio obligationis perfectae alteri cedendi allegari queat.

\* Haec aequalitas sive libertas videtur esse unicum et generale principium omnium obligationum perfectarum inter homines. Hobbesius non longe ab illo principio abit, dum ius omnium in omnes principium iuris naturalis constituit. Falsissima tamen est illa propositio, quia sine limitibus ex voluntate diuina quam negligit Hobbesius constitutus in licentiam et facultatem laedendi abit; quae non ius sed iniuriam constituit.

§. IV. Haec aequalitas personarum in contractibus vnu neutiquam destruitur. Et si enim alias inaequales sint pers-

personae contrahentes; unusque alterius imperio sit subiecius: contrahendo tamen indicat, se hac in parte imperio suo uti nolle, immo alteri potius eatenus ius in suas actiones concedere. Sequitur ex illa, neutri contrahentium ab altero quid extra leges contractus petere licere; et si forte illud ex natura contractus generali faciat, illum alteri idem ius concedere oportere. Neque minus vim, dolum, errorrem contractus vitiare eadem docet, et si id quidem ex consensu deficiente clarius et adcuratius derinetur.

§. V. Contractus in gratuitos onerosos et mixtos dividuntur. Gratuiti dicuntur in quibus quis aliquid accipit et nihil vicissim praefstat; onerosi in quibus quis tantum praefstat quantum accepit; mixti in quibus quis aliquid vicissim praefstat, sed non tantum quantum accepit. Quartum ergo huius divisionis membrum non constituant contractus aequalia continent, qui etiam prouersus non ad hanc divisionem sed ad illam in certos et incertos sunt referendi. Spes enim lucri, non ipsum lucrum, quod adhuc incertum est, hic aestimanda venit; illa vero vel emi in solidum vel donari, vel etiam vtrumque simul pro parte fieri potest.

In contractibus gratuitis tantum ab una parte aliquid praefstat, cuius adeo nulla cum alia aliqua re instituitur comparatio; in contractibus onerosis tantum vicissim praefandum est quantum quis accepit; sine ex virtute parte praestanda oportet esse aequalia; in mixtis non tantum reddendum est quantum quis accepit, ergo hoc illo maius esse necesse est. Quantitas ergo aliqua homogenea constituenda est, quae diuersis rebus, super quibus contractus ineundi sunt, tribuatur; quia sine quantitate neque aequale aliquid neque maius aut minus concipi potest §. I.

§. VI. Ipsa haec quantitas, quea rei alicui constituitur, eiusdem pretium vocatur. Aestimatur vero illud ex sola

vtilitate, quam ex rebus percipere solemus. Hanc enim in rebus adquirendis adeoque etiam in contrahendo homines aestimare solent, et illa ipsa etiam tanquam qualitas homogenea efficit, vt res diuersi generis, quod alias fieri haud posset, inter se comparari queant; Vtilitas vero hic est complexus omnium, quae hominibus ad necessitatem, perfectionem et voluptatem sive veram sive imaginariam inferunt. Comparatio vtilitatis ex diuersis rebus percipiendae, adeoque etiam constitutio pretii rerum aliquando facilior aliquando difficultior est. Facilis illa est in rebus fungibilibus eiusdem generis; Quum enim in illis ex ipsa earum natura inter omnes homines recepta sit regula, illas in quantitate consistere, id est res alias eiusdem generis et quantitatis aliis esse aequales; eadem quantitas harum rerum eiusdem pretii erit. Etiam hic vero differens hominum iudicium de vtilitate ex tempore, loco quin et aliquando ex aliqua qualitatis earum rerum diuersitate sive minima sive etiam imaginaria tantum, nonnunquam difficultates parit. Difficillima ea est in omnibus rebus aliis sive speciebus sive etiam fungibilibus diuersi generis. Vtilitas enim ex rebus percipienda ex variis eiusdem qualitatibus aestimanda est. At in paucarum qualitatum dimensione earumque fere simplicium et certum semper ordinem seruantium vsque adhuc certae regulae constitui potuerunt, neutram vero in omnibus; multo minus ergo diuersae qualitates communem aliquam mensuram semper recipiunt.

§. VII. Difficultatem auget qualitas earum rerum, quae inestimabiles vocantur. Scil. quaedam bona et praesertim ea animi, corporis et fortunae reuera tantum inter se differunt, vt haec intuitu illorum pro nihilo habenda sint; At conditio hominum tamen illa est, vt nulli sola bona vel animi vel corporis vel fortunae sufficiant, sed quilibet omnibus illis ex parte instructum esse oporteat, ita vt una-

spe-

species alteram adiuuet et promoueat; unde sequitur **vnum** genus saepe cum altero commutandum esse. Quum vero ipsae illae res aestimationem non recipient, inter homines conuenit, vt non tam ipsae illae res erga se inuicem aestimentur, quam potius necessitatis vtriusque ratio habeatur; quod Icti Romani distinctione inter mercedem et honoriarium fatis eleganter indicant. Quomodo vero huius pretii in delictis ratio sit habenda, vt ostendamus, nostra Dissertationis scopus non permittit.

§. VIII. Neque vero in pretio rerum constituendo inter omnes conuenit, sed vel maxime etiam hic **verum** esse discimus, varios esse hominum sensus. Diuidi hac ratione potest pretium in commune et singulare. Commune pretium est, quod plurimi homines in quolibet loco rei constituerunt. Non sine ratione enim in ipso pretio communi constituendo certum locum respiciendum putamus; quia alias nimia esset illius incertitudo, et fere semper ad pretium illius loci in quo res illa reperitur respici solet. Etiam hoc tamen adhuc latitudinem aliquam ut plurimum habet. In paucissimis enim rebus homines in pretio constituendo in puncto conuenire solent; Attamen consensu eorum tacito termini quidam constituti ut plurimum sunt, quos pretium alicuius rei non egrediatur. Singulare pretium vocamus, quod vel **vnum** vel pauci quidam rebus nonnullis constituunt; quod adeoque communi vel maius vel minus esse potest; illud si ex singulari certi cuiusdam hominis vel etiam paucorum erga rem illam affectu oriatur, pretium affectionis vocari solet. De causis pretii singularis hic nihil amplius addo, quia in illas adhuc deinceps inquirendum erit. \*

\* De ipso pretio rerum constituendo tum Perillustr. Henr. de Coccoj. *Disserr. de vero rerum pretio*, tum etiam Chr. Thomas. *Disserr. de pretio affectionis in res fungibles non cadente* videri possunt.

## §. IX.

§. IX. Licet contrahentibus a pretio communi quantum volunt recedere, et contractus non ideo minus onerosus est, et validam producit obligationem. Dominus enim vi liberae dispositionis ipsi soli competentis rei suae quam maximum potest pretium statuere, non vero alterum cogere ut in illud consentiat; si vero sponte consenserit, nulla allegari potest ratio, cur non ex principiis §. II. propositis negotium valere debeat. Eodem prorsus argumento vtimur, si alter rei meae longe inferius communi pretium statuerit, et ego in illud consenserim. In genere consensus est praecipuum contractuum requisitum, cui tamen lex saepe alia quaedam addit. At consensus per abitionem a pretio communi nullo modo impeditur; neque Lex Naturalis vetat ab eo recedere, cum ea et domino liberrimam super re sua dispositionem adeoque et super eius alienatione, neque minus alteri quid pro ea vicilium dare velit, cesserit. Licet ergo contrahentibus a pretio communi salua manente obligatione ex tali negotio oriunda recedere; quod erat primum et tertium.

Praeterea vero hoc casu tantum quisque alteri praestat, quantum accepit, et pro integra re alienata hic pretium et nihil amplius traditur, quia neutri animus est neque aliquid donandi neque etiam donato accipiendi: ergo etiam hic contractus in solidum est onerosus §. V. quod erat alterum.

Colligimus inde, quod si alter eo animo fuerit, ut contractum ex parte gratuitum, alter vero ut in solidum onerosum iniret; ob consensum deficientem negotium sit inuidum; nisi forte ex alterutrius culpa sustineatur. Vnde sequitur ad contractum ita ex parte gratuitum ineundum vtriusque consensum in hanc qualitatem desiderari; nec enim quilibet a quoque donationem ita acceptaturus credi potest.

§. X...

§. X. Opponunt hisce, aequalitatem pretii in contractibus onerosis necessariam ex pretio communi non vero ex mente contrahentium tantum esse aestimandam. At cum inter contrahentes de re transferenda vel adquirenda agatur, idque libera super rebus suis gaudent dispositione, naturale est, eorum hic mentem non vero vulgi esse spectandam, nisi ostensum fuerit, contrahentes ad sequendum pretium commune esse obligatos, quod ex Iure Naturali fieri non poterit. Siue ut et hoc addam, cum pretii quantitas non certa sit, sed arbitraria; §. 6. 7. 8. eamque determinandi iure nemo gaudet praepter contrahentes §. 9. necessario sequitur aequalitatem inter ipsos ex nulla alia quantitate quam ab ipsis constituta secundum iuris regulas diiudicari posse. Convenire autem nostram explicationem vulgari de vocibus contractus gratuiti vel onerosi sententiae, que in vocibus maxime spectanda est, inde discimus, quod in contractibus gratuitis semper qui aliquid etiam ex parte gratis accipit, is gratias agere soleat; at qui rem ita pretio vel minimo comparavit, is nunquam gratias agit, neque ei gratiae aguntur etsi vel maximum pro ea per folverit. \* Neque ergo negamus, inter alios hunc contractum, si initus fuisset, futurum gratuitum, sed tantum inter hos contrahentes.

\* Notabiles praesertim sunt huius propositionis effectus intuitu euictionis, quae longe alter in contractibus gratuitis ac in onerosis praestatur.

§. XI. Obiicitur praeterea, iniquum esse, alterum cum alterius damno fieri locupletiorem, idque contra mentem contrahentium, qui in contractibus onerosis non voluere, ut alter inde aut lucrum aut damnum sentiret, immo ipsi rationi adversari, ut quis sine animo donandi a pretio rei communi recedat. Verum quod ad posterius adtinet, ex recensione causarum, quae contrahentes ut a pretio communi recedant movere possunt, adparebit, ratiocinium illud fundamento

B

de-

destitui, eademque opera videbimus, quid ad prius sit respondendum. Ipsiæ vero hæc rationes adeo variae sunt, ut enumerare eas difficile sit. Referimus igitur ad eas errorem, vim & metum, necessitatem rei familiaris, lucri studium, affectionem, quarum interpres hic præcipue meminerunt; praeterea prodigiam, negligentiam, arrogantiam, placenti studium et si qui sunt iis similes animi affectus: quae omnes tam singulae quam aliis iunctæ, tam in alienante quam adquente adesse possunt; et quidem aliquæ eorum in vitroque contrahente simul, aliae vero ita ut diuersa in alienante et adquente reperiatur.

§. XII. Et si vero ex his iam adpareat, contrahentes saepius sine donandi animo a pretio rei communi recedere, non inutile tamen erit, quid in singulis obtineat, præsertim cum quaedam earum contractum inuidium reddant, paulo adcuratius inuestigare; et primo quidem regulariter quisque suo lucro studet, nullius fere alterius rei ratione habita; quem animum Plantus in *Persa act. IV. sc. IV.* eleganter sane depingit. Neque illud propositum ex amore sui oriundum, si modum seruet, reprehendi potest, qua de re postea latius erit agendum; atque omnia hæc quae contrahentes faciunt, ut lucrum ex contractu sentiant, sub nomine circumveniendi, quod naturaliter contrahentibus liceat, comprehendit Pomponius in *L. XVI. §. 4. Dig. de minor.* Quia vero vterque contrahens suæ utilitati studet, et plerumque ambo communi sensu gaudent, et ex eo res aestimant; plerumque rebus commune pretium statuitur, et raro ab eo receditur idque fere ex causis supra iam recensitis et nunc specialiis explicandis; Quomodo vero haec omnia ipso rerum usu inter homines eveniant, in *L. VIII. C. de Rec. vendit. latius ostenditur.*

§. XIII. Quod igitur ad errorem adtinet, is non tantum in re ipsa in contractum veniente, eiusque qualitatibus aliis.

aliis, sed et in ipso pretio communi illius solo interuenire potest. Ut plurimum vero omnes haec erroris species efficiunt, ut a pretio rei communi recedatur, illudque vel augatur vel minuatur. Qualiscunque vero ille sit, hoc effectu gaudet, ut contractus initus fiat inualidus. Consensus enim deficit, quia virus contrahentium sub his circumstantiis animum contrahendi non habuit; Consensum autem sine villa restrictione in contractibus non tantum circa rem, sed et circa modum contrahendi desiderari, etiam ex iis quae §. 2. monuimus probatur. Hinc id solum addimus, primo errorem illum ab allegante probandum esse, quod non solum per argumenta certa, sed etiam per verosimilia fieri potest; et huius posterioris speciei exemplum adhuc deinceps §. 21. videbimus; Praeterea non obstante errore aliquando nihilo minus contractum subsistere; si erratis in culpa sit, eaque alteri damnum datum sit, quod validitate contractus tantum resarciri potest; sed hoc ex regulis de praefestatione culpare, quae in omnibus contractibus cum iis de adimplendo promisso concurrunt, diiudicandum; Denique quod Romani non ob quemlibet errorem, sed ob solum substantialem negotium irritum declarauerint, quin in illo etiam inter negotia b. f. et str. iur. aliquam fecerint differentiam; In alio quocunque vero ad id tantum agi potuerit, ne quis cum alterius damno locupletior fieret; quod non ob aliam rationem fecisse videntur, quam ut quae inter politicas eorum regulas praeципua semper habita fuit, litibus omnem quantum fieri posset, materiam praeciderent.

§. XIV. Et si vero ita negotium inaequali pretio constituto fiat inualidum; non tamen id ullo modo ex inaequalitate pretii quam fingunt, sed ex consensu deficiente oriatur. Cuius rei certissimo indicio est, quod etiamsi tali errore interueniente premium communi conueniens rei sit constitutum, quod facile fieri potest, si quis eo animo sit, ut non nisi

Si minori pretio rem comparare aut cariore eam alienare velit, nihilominus talis contractus sit inualidus; quia etiam hic consensus adeoque fundamentum obligationis deficit ob easdem rationes, quas §. praeced. allegauimus; Constat adeoque, vitium illud non ex inaequalitate pretii quadam, sed tantum ex errore siue defectu consensus oriri.

§. XV. Altera causa constituendi pretii a communi differentis est vis et metus. Ob eam causam an negotium Iure Naturali fiat inualidum iam non disquirimus, neque ea disquisitione opus est, cum omnia argumenta, ex quibus §. praecedenti ostendimus, inaequalitati pretii hunc effectum non deberi, etiam hic applicari queant. Transimus igitur ad tertiam causam scil. necessitatem rei familiaris; ob quam contractum initum semper ex regulis obligationis perfectae valere defendimus siue aequale siue differens a communi pretium fuerit constitutum. Consensit enim vterque sub his circumstantiis in rej alienationem; consensus autem nisi alius quid obster, legitimam parit obligationem: tale vero impedimentum legitimum adeoque causam contractus rescindendi non est rei familiaris necessitas quæ aliquem ad contrahendum adegit, quippe quam a Deo profectam quisque ferre tenetur. Praeterea alias etiam illud inde sequeretur, omnem contractum ex necessitate initum, etiam si a communi pretio haud recesserint contrahentes, nullum per LL. naturales futurum; quod non solum absurdum est, sed praeterea eo ipso ostenditur, ex inaequalitate pretii nullum omnino hic vitium oriri.

§. XVI. Cum hac necessitate saepe ex altera parte concurrat lucri studium aut affectio, quanquam vtrumque etiam cum aliis causis concurrere et posterior etiam ab utraque parte adesse possit; et quamcumque hic speciem finges ut et in reliquis causis §. XI. recensitis, contractus semper tamen validus erit, ob eandem saepius recensitam rationem.

Et

Et intuitus adfectionis quidem minimum adest dubii, cum haec reuera pretium ex causa rationi conueniente augeat. Relique eti vtiplurimum aut stolidae aut pranae sint; id tamen obligationem inde oriundam non tollit; quia quod ad pri-  
mam eorum speciem adtinet, non quaehbet stoliditas & im-  
prudentia, sed ea demum, qua homines communi omnibus  
rationis usu destituuntur, contractus inualidos reddit; alias  
enim quilibet ratione gaudens stolidatem et imprudentiam  
sibi ipse imputare debet, neque adeo eius exceptione in con-  
tractibus vii potest; eo minus quia eadem prorsus ratio obti-  
net, si quis ex stoliditate et imprudentia contractum aliquem  
eti a pretio communi non recedens celebraverit, quod infini-  
tis controversiis occasionem daturum foret; saltem id iterum  
inde adparet, neque hic inaequalitatem pretii vi sua, sed  
causam potius illius etiam ubi inaequalitas nulla adest, con-  
tractum vitiare.

Etsi vero etiam prauitas alterius contrahentis causam in-  
aequalis pretii constitutat, non ideo minus tamen contractum  
validum fore ex eo adparet, quod contractus non alias tan-  
quam illicitus vitietur, quam si aliquid absolute illicitum pro-  
missum sit, quod latius ostendere huius loci non est. Vel  
id saltem iterum adparet, idem eti pretium est aquale com-  
muni, locum habiturum, adeoque nec hic inaequalitatem  
pretii illum effectum producere.

§. XVII. Neque his omnibus opponi potest, quod  
omne damnum alteri datum sit resarcendum. Hoc enim  
de damno, quod quis consensu suo patitur, affirmare non li-  
cit. Ratio enim, cur quis ad damnum sibi datum resarcendum  
agere queat, est, quia nemo sibi ius in res alterius afferere pot-  
est, quod tamen damnum dando fecit; cessat ergo haec ra-  
tio, si dominus in damnum sibi inferendum consentiat;  
quum hic libera prorsus de rebus suis gaudeat dispositio-  
ne. At illud hic plerumque scil. extra casum vis & erroris fe-

oit dominus; cuius voluntas fuit, vt res eo pretio, in quod ipse cum altero consensit, alienaretur.

Ita vero in genere defendimus, ex causa inaequalitatis pretii contractum nunquam rescindi posse, et si quando contractus ob illam vitiari videtur, id reuera ex alia causa oriiri, quod in speciebus §. 13. 14. 15. propositis ostendimus.

§. XVIII. Etsi vero haec ita se habeant; non tamen ex eo colligi potest, nullum prorsus esse pretii communis in iure naturali effectum. Primo enim ex illo aliquando producitur obligatio imperfecta ex regulis humanitatis, quae yetant me cum damno alterius lucrum captare, sed ita cum aliis agere, vt eos mecum in simili casu agere optarem. In quantum ego ergo nullum damnum passus fui, aut alteri sciens damnum attuli, eatenus ad illud etiam resarcendum sum obligatus. Aliquando ergo non semper illud obtinetur. Nihil enim impedit, quo minus etiam contractus a pretio communi recedens ex ipsis regulis humanitatis valeat; vel ob affectionem ytriusque, item si eterque contrahens in simili necessitate rei familiaris versetur, et generaliter in omnibus speciebus, exceptis statim allegatis. Etsi vero in illis idem obtineat, quamvis a pretio communi contrahentes non recesserint rarissime tamen obtinebit, vt si res pretio communi sit alienata, unus contrahentium in lucro alter vero in danno sit, ynde hunc effectum eatenus pretio communi tribuerre non dubitamus. Non tamen assentiri possumus illis, qui ex hac obligatione perfectam effinxerunt; indeque longe aliam in contractibus onerosis aequalitatem pretii ac nos §. 9. 10. proposuimus, desiderarunt.

§. XIX. Duplex praeterea effectus pretio vulgari in contractibus etiam ratione obligationis perfectae concedendus videtur. Scil. primo si pretium in contractu aliquo non sit determinatum; contrahentes a pretio communi recessisse non presumuntur. Hic enim applicari non potest regul.

§. 9.

¶. 9. proposita, licere contrahentibus quantum velint, a pretio communi recedere, quia hi pretium certum nullo modo determinarunt. Quoniam vero contrahentibus nihilominus placuit rem alienare, idque sine certi pretii determinatione; utique is consensus regulariter validam ac perfectam producit obligationem. Probari quidem non potest, certum pretium ab illis constitutum fuisse, at ex eo tamen colligi nequit negotium ob defectum probationis esse invalidum, quippe cum aliquando etsi non semper in iure naturali etiam conjecturis locus sit; qua de re dubitari nequit ubi ipsi contraheentes ex illis rem decidi voluerunt; id vero in nostro casu certum est, quo contraheentes, qui sciunt pretia rerum certa non esse, nihilominus sine eius determinatione contrahero voluerunt. Voluerunt ergo illud non ex certis sed ex verosimilibus argumentis definiri. Ex illis vero nisi specialis aliqua ratio aliud postulet, recte colligitur pretium commune utriusque contraheenti placuisse, quin si illud non in puncto constat sed latitudinem quandam habeat, quod fere semper accidit §. 6. 7. 8. medium sequendum esse. Addidi exceptionem, nisi specialis aliqua ratio aliud postulet; haec praecipue duplex est, nempe ex una parte, si contraheentibus etiam hic aliud pretium placuerit; tum enim illud secundum esse non est, quod dubitemus; posse vero illud etiam sine determinatione accurata pretii evenire, vel ex eo solo constat, si fingamus virumque in rem illam statuisse pretium aliquod affectionis: Ex altera parte specialis ratio adest, si error aliquis intervenerit; tum enim quia rarerque non ita consenit ac leges naturales requirunt, contractus quatenus res in integrum restitui potest erit invalidus, et superiores regulae applicari nequeunt. Id vero praeterea certum est, has causas ab eo, qui illas allegat, probari oportere; quia illud generaliter obtinet in omnibus exceptionibus a regula aliqua generali. Cum vero haec sit praesumtionis natura,

tura, ut tamdiu obtineat, donec contrarium probetur, sequitur in nostra specie contrahentes non praesumti a pretio communi recessisse.\*

\* Nihil hic diximus de doli et culpae praestatione, quia de illa specialiter hic non agimus; quamvis alias certum sit, ob illius rationem etiam hic contractum saepe ex valido infirmum et contra fieri, quin et premium saepe longe aliud statuendum esse. Praesertim ea, quae de errore monuimus etiam hic ita sunt intelligenda, si dolus et culpa non intercesserint.

§. XX. Leges Ciuiiles autem in hac specie aliquantum a iure naturali recesserunt, dum in emione venditione et locatione conductione statuerunt, hos contractus sine certi pretii determinatione non valere; idemque in contractibus innominatis magis, cum eorum conditio hodie mutata sit, moribus etiam nostris obtainere non dubitarem, quia nulla ratio differentiae adduci potest. Ad illud vero constituentum hoc maxime Romanos mouisse videtur, ut litibus ita materiam praecederent, quales quam plurimae ex tali pretii incertitudine oriri poterant, quia vero haec ratio nobis quoque applicari potest, omnia haec etiam in foris nostris suar servanda, et si alias pacta qualiacunque etiam nuda in illis valeant. Interim tamen regulae §. praeced. propositae etiam in iure cuijli non omni visu defituuntur. Finge enim contractum reseindi amplius non posse, quod accidit, si res, (quam vocem hic latissimo sensu accipimus, ita alienata ante item de pretio ortam ciuiliter vel naturaliter sive in solidum sive pro parte consumta sit; cum enim hic restitui illa nequeat, neque tamen gratis illam alter ex intentione contrahentium retinere queat, premium illi constituentum erit, quod non aliter, quam secundum regulas §. praeced. fieri potest. Cetera adhuc tamen negotium nunquam iure emisionis et locationis sed contractus innominati valebit; quia illius substantia

tia

tia deficit, quod in foro vnu non destitui, adcurate rem contemplanti facile patebit.

§. XXI. Alter effectus legitimus pretii communis est; Quod si quis pretium a communi nimium differens consti- tuerit, in errore versatus praesumatur, adeoque contractus sit invalidus, vsque dum contrarium probetur. Si enim nulla alia eius rei ratio allegari potest, necesse est illam ab errore peti, quia homines nihil sine ratione facere solent; Non vero praesumimus errorem nisi vbi differentia est ni- mia; praesumptiones enim argumentis probabilibus nituntur; at non potest adcurate dici, vbi contrahentes paulum a pre- tio communi recesserunt, illud eos ex errore fecisse, quia quam plurimae eius rei causae aliae adesse possunt; ne di- cam ipsum pretium commune latitudinem quandam habere; ut adeo differentia minima ne differentia quidem vocari queat; at ubi differentia adest notabilis et nimia ac aliae causae fere deficiunt, saltim ex regulis verisimilitu- dinis; ea maxime ab errore petitur, isque idcirco tam- diu praesumitur, vsque dum contrarium probatum sit. Ve- ritas eius rei etiam hoc argumento ostendi potest, quod ei secundum ius naturae prae aliis probandi onus incumbat, qui facto aliquo nititur, quod probari facile potest; non ille qui vel non facto vel eo quod probari nequit \* at ille qui nimium a pretio communi recessit, facto tali nititur, quod ob raritatem suam in omnium oculos incurrit, cuiusque adeo ratio facile ostendi potest; error vero difficultius probari pot- est, nec facile ratio differentiae minoris demonstratur. Va- de sequitur in hac aliud ac in illa obtinere.

Caetera cum haec praesumptio tantum sit, facile adap- ret, eam probatione contrarii elidi; adeoque contrahen- tes illud sequi non teneri, sed in dubio illud tantum fecutos credi: quos effectus pretii communis alii per- permane confuderunt, indeque si contrahentes pretium a communi differens constituerint, quamvis de voluntate co-

rum constet, contractum vitiare ob factam aliquam pretii inaequalitatem statuerunt.

\* Ea quae hic de onere probandi monuimus, quium ad aliam prorsus materiam pertineant; latiore explicatione indigent, quam hic addere scopus nostrae dissertationis non permittit.

§. XXII. Ultimo loco non inutile erit, in quantum insciuile hic a naturali recesserit, ostendere. In Leges et exempla veterum Graecorum et Germanorum quaedam circa hanc rem inquirit Puffendorf in *Jur. Nat. et Gent. Lib. V. cap. III. §. ult.* ex quibus adparat eos nihil certi hac de re constituisse.

Israëlitarum sapientissimus legislator *Leuitic. XXV. §. 14. sqq.* etiam hac de re praeceptum populo suo dedit. Videtur vtique Lex illa et si moralis ex parte ratione nitatur, non tamen moralis tantum, sed etiam ciuilis esse, quia inter medias leges ciuiles relata est; et est verofimile a iudicis arbitrio secundum illam fere determinationem iusti pretii peperisse. Agit tantum de venditione agrorum, et notant Judæorum interpres, illam in solis contractibus Israëlitarum inter se, non cum gentibus aliis seruatam fuisse. Ratio vero adcurioris cum pretio communi conuenientiae requisitae illa est procul dubio; quod respublica illa a reliquis omnibus separata, quaeque adeo ex illis incrementum nullum sperare poterat, breui tempore omnino esset interitura; si alteri liceret alterum per contractus tales ad inopiam redigere. Poterat vero simul haec moralis perfectio longe facilius in illa, quam in alia quavis respublica obtinere. Quoniam enim Iudei saltem initio commercia cum aliis gentibus nulla exercebant; tum iisdem praeteres alienatione praedorum rusticorum in perpetuum prorsus erat interditum; hae vero ex §. 6. 8. praincipue sint incertitudinis pretiorum inter alias gentes causæ: hinc pretia gerum apud illos

illos prae reliquis certa constitui potuisse, iure colligimus;  
Cum eadem lex apud alias gentes infinitas difficultates at-  
que lites perpetuas paritura fuisset conf. Grot. de Iur. bell. et  
Pac. Lib. II. cap. 12. §. 11. Selden Iur. Nat. et Gent. Lib. VI.  
cap. V.

§. XXIII. Post eos Romani quoque ut in aliis rebus  
sic etiam hic ius suum ad maiorem perfectionis politicas  
gradum exexere. Distinguendas autem sunt ex illorum  
principiis res quaedam, quarum pretium certum constitui  
reipublicae specialiter intererat, a reliquis omnibus. Ad  
illas iam ab initio relatae sunt usuriae, et si non semper ea-  
dem fuerit earum quantitas legitima. Retulere iidem huic  
etiam a temporibus Anastasi actiones. In his ne tantillum  
quidem pretium legibus adcurate definitum exceedere licebat,  
in coequo a iure naturali strictaque eius ratione in utilita-  
tem ciuium suorum quam longissime recessere, quia in his  
in primis speciebus lucri nimia cupidio cum plurium non  
damno solum, sed pernicie coniuncta erat; unde et hodie  
non solum eorum leges usurarias mutata tamen ipsa ca-  
rum quantitate, quin et alicubi legem Anastalianam, cuius  
ratio in illa republica specialior aderat recepimus; verum  
etiam illorum solertiam in definiendo pretio rerum pro-  
mercalium, quibus nemini carere licet, imitati fuimus.

§. XXIV. At in reliquis omnibus rebus certis (in-  
certarum natura enim talem constitutionem non admis-  
set) L. II. Cod. de rescind. vend. constituit, ut qui in con-  
trahendo ultra duplum laeti essent, eius rescissionem pe-  
ttere possent, quia reipublicae intererat neminem insi-  
gni adeo damno adfici, unde periculum esset ipsum ad in-  
opiam redactum iri. Legem illam etiam ad emtorem  
quin ad omnes bona fidei contractus pertinere, et qualis  
adcurate laesio desideretur, et quis sit illius effectus, in iu-  
re ciuili explicandum est. Hic ergo solam duplificem no-

mus utriusque iuris, naturalis et ciuilis differentiam. Scil. ex una parte Ius ciuale obligationem, quae iure naturali vel imperfecta vel nulla erat §. 18. in perfectam mutauit, si in tantum a pretio communi recesserint; ex qualicunque causa extra vim et dolum quae contractus semper vitiant, hoc factum fuerit, conf. §. 11. nisi huic beneficio vel expresse vel tacite renunciatum fuerit, vbi tamen iterum excipimus contractum ex necessitate initum, quando ipsa huius beneficii natura, ne illius renunciatio admittatur, postulat. Ex altera vero parte licet iure naturali error qualisque in intuitu pretii communis contractum infirmum reddat §. 13. quia tamen hic dubio procul non substantialis sed accidentalis est, hinc is contractum nullo modo rescindere, immo nec ullo alio effectu gaudere poterit, nisi sit error ultra diuidium. Quod enim de errore in pretio Leges statuerunt contractum irritum fieri; id de errore in quantitate pretii communis intelligi non potest; vt adeo ius Romanum ex una parte hic aliquid iuri naturali addiderit, nouamque causam rescindendi contractus induxerit; ex altera vero deraxerit eidem, dum sustulit causam rescissionis ex illo iure descendente: quae omnia adhuc hodie usu fori secundum ius ciuale seruanda videntur

## T A N T V M.



## ADNEXA RESPONDENTIS.

- I. Specierum et corporum nulla admittitur compensatio.
- II. Non datur pignus tacitum conventionale.
- III. Specificatio desiderat bonam fidem.
- IV. Debitor facti ad factum non potest cogi.
- V. Mandatarius, qui quamvis bene extra praescriptos fines egit, non potest agere actione negotiorum gestorum.
- VI. Ius in re potest esse momentaneum.
- VII. Ratihabitio patris nuptias non reddit retro legitimas.
- VIII. Legatarius vel fideicommissarius in testamento potest esse testis.
- IX. Nuptiae inter parentes et liberos iure naturali sunt vetitae.
- X. Testamenta quoad substantiam in Iure naturae sunt fundata.
- XI. Praelatio primogenitorum in successione non tollit aequalitatem liberorum.
- XII. Fides hosti data est seruanda.

Præf.

*Praenobilissimo et Ornatissimo  
DEFENDENTI*

S. P. D.

P R A E S E S.

Iure tibi, Amplissimoque Parenti tuo, totique splendidae familiae de eruditione eximia cum suauissimis moribus iuncta, gratulari possum. Quo magis enim iuuenilis aetas cerea est in vitium flecti, eo praestantius est praeclarae et ad magna quaevis natae tuae indolis specimen, quod hisce illecebris prorsus moueri non potueris. Non obstante iuuentute tua de Te testari possumus, paucos esse, qui tibi aequari possint, qui praferatur neminem; Lacti igitur spondere nulli dubitamus, te fructus largissimos solidioris ac fieri vulgo assolet iurisprudentiae tibi comparatae, propediem collecturum; Quod restat vale, et me, quod huc vsque fecisti, amare perge. Dabam  
Kal, Augusti A. M D C C L X I I I .



Duisburg, Diss., 1929/81(1)

ULB Halle  
004 527 070

3





8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres

*narr. 45.* 14

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup>  
IVRIS NATVRALIS  
DE 1763  
AEQVALITATE PRETII  
IN  
CONTRACTIBVS SERVANDA.

QVAM  
FAVENTE SVMMO NVMINE,  
*PRAESIDE*  
FRIDERICO GOTHOFREDO  
I. A. F. SCHLEG<sup>TENDAL</sup>,  
IVR. D. ET P. P. O. H. T. ACAD. RECTORE  
PUBLIC<sup>E</sup> DEFENDENDAM  
SUSCIP<sup>I</sup>ET  
WERNERV<sup>S</sup> REINHARDVS BERNHARDVS  
DE MVNTZ,  
CLIVO CLIVENSIS.  
DIE XII. AUGUSTI MDCCLXIII.  
H. L. Q. S.

TEVTOBVRGI AD RHENVM,  
TYPIS FRANCISC. ADOLPH. BENTHON,  
ACAD. TYPOGR.

